

GS/5A

Pax Theoria

F.) DE COMMUNITATE GENTIUM ET PACE.

1. (Condendae institutiones internationales et supranationales).

Ob profundas mutationes in populorum convictu, quae ex evolutione historiae et progressu tecnico et scientifico sequuntur, relationes inter humanas communitates in dies frequentiores et implicatiores fiunt. Inde sequitur nova oriri problemata, oeconomica, socialia, politica, culturalia, universale bonum et ipsam mundi pacem spectantia, quae solummodo a communitate internationali iuri naturali innixa, organice instructa, aequa et effectiva auctoritate et congruis mediis praedita apte solvere potest.

2. (Communitatis internationalis fundamentum et finis). Communitatis internationalis est in pacifico consortio accessum omnium populorum ad patrimonium commune humanum promovere et totam virtualitatem naturae humanae, communis apud omnes homines, in concordia ac fructuosa cooperatione actuare.

Ut communitas internationalis suum bonum commune attingere queat, iustam et adaequatam constitutionem duplicis ordinis exigit: ordinis interni Statuum, cum iusta agnitione iurium personalium ac socialium, et ordinis externi ~~extera~~ internationalis, cum iusta recognitione iurium communitatum politicarum ac recta aestimatione valorum populis priorum. Pax, seu tranquillitas ordinis, est opus utriusque ordinis, iustitiae nempe et caritatis quae actuandae sunt in omnibus gradibus consortii humani.

3. (De praecipuis personae humanae iuribus in Communitate Internationali defendendis). Iuridica et socialis structura Communitatis internationalis, ita conformanda est et cum legitimo singularum communitatum politicarum ordine interno concilianda, ut in ea plenum exercitium humanae personae iurium ab omnibus agnoscat et sine ulla exceptione linguae, stirpis, religionis, cultus, servetur et promoveatur. Inter inalienabilia iura personalia praesertim adnumeranda sunt ius ad vitam et corporis integritatem, ad genus vitae socialis et oeconomicae dignum et honestum; ius libere colendi Deum; legitime explicandi et perficiendi proprias facultates, bona privatim possidendi; ius libere comendi mutandique sedem intra communitatis politicae

fines; ius emigrandi et immigrandi; ius contrahendi matrimonium et constituendi vitam familiarem, libere educandi filios et consociandi se ad honestos fines assequendos.

4. (Praecipua communitatum politicarum iura in communitate internationali). Ad rectam notionem communitatis politicae eiusque muneris in communitate internationali pertinent: ius ad vitam et independentiam pro omnibus cuiusque magnitudinis communitatibus politicis ~~x~~ ita ut unius voluntas vivendi fieri nequeat sententia mortis alterius; ius ad aequaliter fruendum iure gentium quod attinet ad legitimum incrementum et ad culturam propriam; ius habendi partem bonorum omnibus hominibus destinatorum et adhibendi tum apta remedia quibus causae famis in regionibus progredientibus vel nimis habitatis tollantur, tum tandem recentiora inventa ad civium prosperitatem pacemque fovendam. Propterea damnandus omnino est error nostris temporibus serpens, quo iura Communitatum politicarum asseruntur esse illimitata atque etiam summa eius potestas habetur absoluta.

5. (Praecipua communitatum politicarum officia in communitate internationali). Ut singularum communitatum politicarum relationes in sinu communitatis internationalis bonum et progressum omnium efficaciter provehant et consequantur, necesse omnino est ut eae singulae agnoscant et observent iuris naturalis gentium principia, quae exigunt ut praecipua iura omnium gentium - minorum etiam partium ethnicarum - non laedantur, immo promoveantur in iis quae spectant propriam religionem, culturam, linguam, integritatem ac libertatem; ut legitime emigrandi immigrandique impedimenta removeantur, et inter omnes communitates politicas constituatur in re politica oeconomica et sociali activa cooperatio.

6. (Cooperatio inter nationes progressas et progredientes). Iustitia et caritas postulant ut nationes, edulibus bonis ac frugibus magis redundantes, prompto subsidio populis inopia et fame laborantibus succurrant.

Iustitia et caritas pariter postulant ut opulentiores illae nationes ita inter se et cum egentibus nationibus cooperentur, ut istarum cives scientificam peritiam, professionalem aptitudines ac capacitatem acquirere possint; ut nationes egentes debitam adstantiam technicam revera obtineant; ut denique congrua instrumenta accipiant quibus et ipsae quam primum propriis viribus suam progressionem oeconomica et socialem prosequi valeant. Communitatis internationalis

est, ut huiusmodi multiplicem cooperationem sustineat et promoveat.

7. (In dies augeatur adsistentia et cooperatio). Exoptat Sacrosancta Synodus ut haec multiformis culturalis, scientifica, technica, oeconomica adsistentia et cooperatio, quae iam hodie laudabiliter praebetur, in dies augeatur, posthabito cuiuscumque generis dominandi consilio.

Catholici, qui ad communitates in rebus scientificis et oeconomicis progressas pertinent, ad illud altissimi humani ingenii opus totis viribus conferant, intra et extra adsistentiam publicam, praesertim propter coniunctionem cum omnibus hominibus ex caritate Christi fluentem.

8. (Quae sunt agenda a christianis in nationibus progredientibus). Christianos omnes qui membra sunt communitatum quarum oeconomicus progressus est in cursu, Sacrum Concilium invitat ut ipsi cum ceteris hominibus firmo proposito satagant ut divitiae quae paulatim ex propria industria nationis augeantur et opes quae collaborantibus caeteris nationibus praesto fiunt, iuxta normas iustitiae et aequitatis inter omnium classium et regionum cives distribuantur; ut oeconomica progressio in omnibus provinciis congruenter existat, in industria scilicet, in agricultura et in servitiis communibus, ut progressus oeconomicus, socialis et culturalis cum vividiore spiritualium bonorum cultu, pari gressu procedat.

9. (Vigilanti et prudenti cura patriam diligant). Laudandus est amor erga propriam gentem, culturam et patriam, cum hic amor sit virtus et forma quaedam caritatis pietatisque filialis. Strenue tamen christifideles obsistant particularismo et pernicioso nationalismo, qui cum mutuum benevolentiam et debita officia erga magnam nationum familiam respuat, dissolutionem communitatis internationalis promovet et efficit.

10. (Alii reprobantur errores qui communitatis internationalis constitutionem rectamque eius agendi facultatem impediunt). Praeterea haec Sacrosancta Synodus reiicit ac reprobat errores imperialismi, qui politicam et oeconomicam alicuius communitatis politicae dilationem ultra eius legitima confinia considerat tamquam ius incoercibile et

Pass
de activitate
(ex oportet
laicorum)

subtractum auctoritati communitatis internationalis; sic dicti nazismi, qui cum ex nimio sui stirpis studio, illam ceteris puriore superioremque ac dominantem constituat, communitatem internationalem in iuridica omnium membrorum aequalitate innixam destruit; insuper illius formae totalitatis, qui operariorum universitatem aequando cum communitate internationali, aequilibrium adimit quod est servandum inter legitima iura tum singularum communitatum politicarum tum communitatis internationalis.

11. (Conditiones essentialis pacis). Ne ordo internationalis constituendus dissolvatur, sed in consortio pacifico omnium gentium semper in dies crescat, necesse est ut pax, in firma determinatione iurium singularum communitatum politicarum fundata, amore fraterno, quo solo defectus iustitiae humanae superari possunt animetur ac ab organis communitatis internationalis efficaciter defendatur.

12. (Officium christifidelium promovendi pacem). Cum ordo internationalis est adhuc in via constitutionis ac ob conditionem praesentis vitae humanae incessanter inter graves difficultates periclitatur, christifideles, qui pacem ut quoddam supernum donum acceperunt, cum omnibus "hominibus bonae voluntatis" impense ac incessanter operantur ut hic ordo semper perfectior evadat et totus mundus in pace restauretur.

13. (Functio supplens Statuum ac ius legitimae defensionis). Usquedum organa communitatis internationis carent apto ac efficaci potestate agendi aut in exercitio proprii officii impediuntur, singulis Statibus competit ut debitis conditionibus muniti, in casu aggressionis iniustae, ordinem communitatis gentium ac propria iura vitalia defendant.

14. (Vindicatio vi armorum ordinis laesi). Vis armorum ad restaurandum vel defendendum ordinem ne adhibeatur nisi exhaustis omnibus mediis persuasionis ac monitionis, tractationis vel punitionis, quibus aggressores intra limites ordinis iuridici cohiberi possunt. Usus armorum, quorum effectus omnino incalculabiles sunt ac propterea ab homine rationabiliter temperari non possunt, vel ipsam speciem humanam in sua constitutione physica aut biologica irreparabiliter laedunt, excedit omnem iustam proportionem ac proinde moraliter eo-

honestari nequit.

Propterea Sacrosancta Synodus gravibus verbis ut damnum exitiale cunctae familiae humanae illatum denuntiat ac reprehendit effrenum illum cursum ad arma thermonuclearia seu atomica praesertim, apparanda, quae res veram pacem, concordiam fiduciamque inter gentes laedit et prohibet, magnamque hominum partem et divitiarum in discrimen vitae et ruinae adducit. Civitatum ~~moderatores~~ moderatores, necnon omnes qui in opinione publica influxum exercent intelligant grave suum officium esse ut gentes ab hoc ruinae discrimine liberent per conventiones, quibus thermonuclearium fabricatio definita et progressiva ratione cesset, ac simul adlaborant ut ex animis deponantur hostilitates, odia, timores vindictae, diffidentiae.

15. (Iura fundamentalia personarum etiam in statu belli vindicantur). Cum fundamentum, subiectum et finis omnis vitae socialis sit persona humana, iura personalia bellum gerentium maxima cura qua possibilis est respectari ac defendi debent, uti sunt iura humana captivorum, ius eorum ad vitam ac integritatem corporis et animae, ad libertatem conscientiae ac alia similia.

16. (Missio Ecclesiae erga communitatem internationalem). Ecclesia in virtute suae missionis divinae praedicandi Evangelium omni creaturae et elargiendi inter eos thesauros supernae gratiae, pacem ubique terrarum diffundit ac unica solida fundamenta consortii pacifici populorum, agnitionem nempe legis divinae et naturalis, praecepta iustitiae et amoris omnibus docet. Quapropter respectu communitatis internationalis Ecclesia ut mater et magistra gentium plenam libertatem habere debet ut populi ad ipsum respicientes in vicissitudinibus relationum internationalium tam arduam, veram pacem tanto ardentem aspiratam revera invenire possint.

Ideo Sacrosancta Synodus catholicos monet ipsorum officium esse cum omnibus hominibus bonae voluntatis, diligenti studio cooperari ad instituta internationalia condenda et perficienda, ita quidem ut non ab uno vel alio imponantur, sed ab ipsis gentibus adlaborantibus instituantur.